

ad Lectorem.

iam per aliqua sæcula durarunt, nec non Ecclesiam Catholicam circa annum Christi Domini 1661 desitura, qua 7, & 5 anno 1603 à trigono aqueo in igneum progressi sunt, & omnes characteres numeri Romani ad annum illum explebuntur, qui illos complectitur, vt in sequentibus literis videre est MVCLXI; nos verò credimus Ecclesiam Catholicam vsque ad extremum diem Iudicij vniuersalis duraturam; in quo vnusquisque suorum operum, verborum, omniumque cogitationum, & affectuū rationē reddere cogetur, vt vel præmio, vel supplicio afficiatur. Neque difficile est huiuscemodi nãias vel vnus diei Astrologo conuellere. Vtinam Athei diem illum terribilem potiùs expectarēt, quàm tempus illud, in quo Deismum, & Atheismum regnaturum arbitrantur; verùm his ad nostram quæstionem ob eorum salutem elucubratam amandatis, reliquum opus explico.

Dictum
Atheorum,
& Deistarū.

Cùm in vnaquaque dictione primi capituli ferè plurimos sensus contineri viderem, quos Ascanius fusè 2 tomis profecutus est, multa problemata in illud 1 Caput scripsi, vt plures sensus breui compedio complecterer, & oculis tuis subijcerem; quod in aliis capitibus facere nolui, cùm non sit adeò frequens variorum sensuū concursus. Tres etiam textus Hebræum, Græcum, & vulgatum habes, vt quilibet etiam pertinaces, etiam hæretici videant, quàm bene vulgata editio reliquis textibus conueniat, & vbi textus discrepare videntur, quomodo in cõcordiam redigendi sint. Præter illam quæstionem nõnullas alias proposui, quæ tametsi ad Philosophos pertinere videantur, ne tamē illi neoterici Theologis, & scripturæ interpretibus deinceps succenseāt, & vt scires, quid iuxta fidem, & Scripturam sacram de iis sentiendum sit, denique vt illi scirent Theologū omnia meritò discutere posse, eas tractauimus, quod suo iure primum, & 2 caput postulare videbantur, licet plurimas omiserim, quæ fieri poterant, vt non rarò insinuauī.

Ascan.

Plurimi verò Geometrica, catoptrica, astronomica, astrologica, & harmonica schemata, tam in quæstione aduersus Atheos, quàm in aliis posui, quod nemini ingratiū esse debet, licet enim id mathematica sapiat, non longè ab instituto theologico abest, cùm id factū sit, vt intelligas, quæ aduersus Atheistas, hæreticos, & alios huiuscemodi protulimus, quæ alioquin à paucis intelligi potuissent; adde quòd multæ sunt figuræ, quæ plurimum Theologis seruire valeant, vt in progressu fateberis. Exempli gratiâ diagramma arithmeticum col. 54 docet, quomodo propositam multitudinem hominum facillè numeres, etiam si singulos, qui ab initio mundi hucusque fuerunt, omnem arenam, quæ totum mundū, & alios mundos impleret, efferre velis, vt ibi fusè videbis: de quibus nõnulla subiunxi in obseruationibus ad finē voluminis. Col. 59 habes, quod extēsiōni virtuali Angeli explicandæ inseruiat; omitto reliqua, quæ sequuntur in quæstione aduersus Atheos, & in aliis sequētib⁹, in quibus mundi systema repræsentatur. Columnâ 1742 figuras manuum chiroscopicarum attuli, vt Theologus stultorum chiro-

Vtilitas figurarum.